Jahresbericht

über das

Königl. Gymnasium und die Vorschule

zu

Saarbrücken,

womit zu den

am 31. August und 1. September 1868

stattfindenden

Schulfeierlichkeiten

ergebenst einladet

der Director

Lic. Dr. Wilhelm Hollenberg.

Voraus geht die Abhandlung:

HERMÆ PASTOREM EMENDAVIT, INDICEM VERBORUM ADDIDIT
GUIL. HOLLENBERG.

Saarbrücken.
Druck von Gebrüder Hofer.
1868.

PASTOREM HERMAE EMENDAVIT, INDICEM VERBORUM ADDIDIT GUIL. HOLLENBERG.

I.

Vetera consilia repetere cum iucundissimum sit, nunc oblata occasione animum denuo ad Hermae pastorem emendandum applico. Ex quo enim tempore libellum meum: De Hermae pastoris codice Lipsiensi edidi (Berolini, MDCCCLVI), allata sunt nobis nova eaque gravissima adiumenta ad verba pastoris rectius constituenda. Nam ut novam Hermae versionem latinam debemus *Dresselio*, ita Tischendorfii opera nobis redditus est prioris partis novus textus graecus, ex codice Sinaitico desumptus. Itaque *Adolphus Hilgenfeldius* habuit, unde novam editionem libri pararet, cuius est titulus hic: Hermae pastor graece.. e codicibus Sinaitico et Lipsiensi scriptorumque ecclesiasticorum excerptis, collatis versionibus latina utraque et aethiopica, libri clausula latine addita, restituit commentario critico et adnotationibus instruxit Ad. Hilgenfeldius, Lipsiae T. O. Weigel MDCCCLXVI. Doctissimus ille vir optimo consilio atque invicta alacritate animi rem gravissimam adgressus, in eo tamen minus recte fecit, quod satis habuit Pastorem graece edere. Quid enim? Nonne solis doctis hominibus editio Pastoris graeca inservire potest? Atque docti quidem viri maxime adiuvantur synopsi quadam versionum latinarum harumque perpetua collatione cum archetypo graeco. Sensus enim verborum et sententia scriptoris etsi e graecis satis cognoscitur, ut interpretatione opus non sit, tamen ad auctoritatem textus Hilgenfeldiani examinandam atque ad ea vitia removenda, quae vel in hac novissima editione relicta videntur, non satis est nonnulla versionum fragmenta ad marginem reiecta conferre; ipsas versiones integras adiici oportet.

Sed insipientis quum esset, detrahere aliquid justis laudibus editionis Hilgenfeldianae, nunc in animum induxi ita Hilgenfeldi librum ducem sequi, ut nonnulla conferrem ad emendandum Pastorem, quae quamvis sint levia, tamen aliquando adiuvare possent strenuum libri nostri editorem. Quod me nonnulla collaturum esse dicebam, non est quod mireris, neque enim facile ad finem perduci atque absolvi potest res tanta, neque si posset, me id praestiturum dicerem satis occupatum hominem parumque doctorum virorum libris munitum.*) Ob eamque rem ne illud velim credas, me ubi dissensionem nullam videas expressam, semper cum Hilgenfeldio facere. Jam nunc totiens ab eo me discessisse reperies, vix ut eius veniam mihi datum iri confidas.

Hilgenf. p. 3, lin. 12. *Καὶ πνεῦμα με ἔλαβε καὶ ἀπήνεγκέν με δι' ἀνοδίας τινός, δι' ἧς ἄνθρωπος οὐκ ἐδύνατο ὁδεῦσαι.* En habes locum multum diuque vexatum, ab interprete olim corruptum. Nam vulg. ver. habet: per viam *ad dexteram,* palat: in *altam* viam; codex Lips. *δι' ἀνόδου ἀσκίνου,* quod nihil est. Coniecturas proposuerant *Aug. Nauckius* alii: *δι' ἀνόδου ἀσκίου,* vel *ἀσκήνου,* vel *δεξίου* vel *ὑπερδεξίου.* Nunc Sinaiticus rem solvit et corruptelae sedem ostendit; neque mirum, si *ἀνοδίας* vocabulum semel corruptum erat, quod ex reliquis literis verbi *αστινος* aliud quoddam vocabulum fingi potuit.

p. 6 in adnotatione videtur corrigendum esse illud *ἀστονάχητος* Lips., Tischend. enim p. 573 apud Dresselium dicit, in apogr. potius extare *ἀστομάχητος.*

p. 6 lin. 6 graeci testes habent *ἀλλὰ πάντως ἐπὶ τὴν καρδίαν σου ἀνέβη περὶ αὐτῆς*; sed cum in utraque versione scriptum videamus: sed *forte* in corde tuo ascendit etc., equidem legendum censeo: *ἀλλ' ἴσως.* Quamquam quod p. 99, l. 17, simili commistione factum esse videmus, nonnullas de mutato vocabuli *πάντως* usu movet dubitationes.

---

*) En habes, curut' singula afferam, aethiopicam versionem Hermae non potuerim adhibere.

p. 7 complures errores typothetae praeter indicatos legenti occurrunt. Neque res ipsa satis emendate exposita videtur. Nam l. 9 quod legitur: *ἤκουσα μεγάλως καὶ θαυμαστῶς ὃ οὐκ ἴσχυσα μνημονεῦσαι· πάντα γὰρ τὰ ῥήματα ἔκφρικτα ἃ οὐ δύναται ἄνθρωπος βαστάσαι· τὰ οὖν ἔσχατα ῥήματα ἐμνημόνευσα· ἦν γὰρ ἡμῖν σύμφορα καὶ ἥμερα· Ἰδοὺ ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων ὁ ἀοράτῳ δυνάμει κραταιᾷ καὶ τῇ μεγάλῃ συνέσει αὐτοῦ κτίσας τὸν κόσμον κτλ.* compluribus laborat difficultatibus. Primum enim Lips. verba sic incipit: *ἤκουσα μεγάλας καὶ θαυμαστάς, ὧν οὐκ ἴσχυσα μνημονεῦσαι*, ita ut *μεγάλας κτλ.* ad praecedens nomen *δόξας τοῦ θεοῦ* debeas referre. Haud multum aliter vers. Pal.: et cum audissem magna et mirabilia, non potui ea in mente habere . . ., novissima autem verba in mente habui, erant *autem* (legendum est *enim*) nobis *consentanea* et *mansueta*. Altera versio vulg. propius quidem accedit ad cod. Sinait.; initio tamen aut lacunam graeci textus indicat, aut nimia libertate in vertendo utitur, exhibet enim haec: Et revoluto libro*) legebat gloriose, magnifice et mirifice, quae non poteram in mente retinere . . ., novissima tamen verba memoriae mandavi, erant enim pauca (Vat. modica) et utilia nobis. In initio igitur haec fortasse in graecis legebantur: *ἤκουσα ἀναγινωσκούσης μεγάλως κ. θαυμαστῶς, ὧν οὐκ ἴσχυσα μνημονεῦσαι, τὰ γοῦν* (?) *ἔσχατα κτλ.* In extrema sententia versiones inter se differunt, nam Pal. vertit sine dubio *σύμφωνα καὶ ἥμερα*, vulg. autem *σύντομα καὶ σύμφορα*, ut dubius haeream, quid statuam scribendum esse; minime vero placet *σύμφορα*; quid enim est, cur priora verba, quae ex memoria exciderant, minus utilia fuisse putemus, quam posteriora?

Quae posteriora verba qualia fuerint, parum constat. Nam Hilgenfeldi inventum est illud *ἀοράτῳ*, Lipsiensis enim secundum Tischendorfium habet *ὃς ἀγανῷ δυνάμει*, secundum Angerum *ὃν ἀγαπῶ δυνάμει*, cui Angeri observationi ut fidem habeamus, efficit lectio Sinaitici codicis, *ον αγαπω*, quam scripturam igitur in utroque codice graeco fuisse constat. Versiones autem apponamus necesse est; vulg. sic legitur: Ecce deus virtutum, qui *invisibili* virtute et magno sensu suo condidit mundum. Pal. sic habet: Ecce deus virtutum, qui omnia virtute *sustentabili* (?) et sensu suo magno aedificans saeculum etc. Ex quo evincitur, latinos viros in graeco exemplari unum tantum divinae potentiae attributum legisse, non duo, ut nunc Hilgenfeldius omisso vocabulo *καί* scripsit: *ὁ ἀοράτῳ δυνάμει κραταιᾷ*; quid interpres Aethiop. in exemplari suo invenerit, incertum est, nam ex eius textu: in misericordia sua et in amore suo, nihil poteris pro certo affirmare. Quod si iudicium proficisci debet de verbis: *ον αγαπω δυναμει και κραταια* (*κρατ*), nemo non videt, haec esse corrupta. Tamen si illud *ὁ ἀοράτῳ δυνάμει* Hilgenfeldii, satis accommodatum sententiae et vers. vulg. commendatum, semel scriptum esset, vix potuisset hac absona scriptura *ον αγαπω* obrui. Sustentabilis vocabulum quum nihil sit, Hilgenf. Palatino revindicat insustentabili, quam vocem e ficto vocabulo *ἀφορήτῳ* explicare videtur. Sed cum omnia in hac re incerta sint, malo cum Bergkio, Sophoclis editore, locum graviter corruptum, quem non licet probabili ratione emendare, intactum relinquere, quam vitia coniecturis obtegere. Nec nisi dubitanter addo, me aliquamdiu cogitasse de glossemate *ὃν ἀγαπῶ* pii lectoris cuiusdam, quod deinceps de margine in textum irrepserit. Neque enim raro talia epiphonemata, quale *θεὸς τῶν δυναμέων κτλ.* ad similia ascribenda lectoris animum excitarunt.

p. 9, l. 10. *τὸ σπέρμα σου, Ἑρμᾶ, ἠθέτησαν εἰς τὸν θεὸν καὶ ἐβλασφήμησαν εἰς τὸν κύριον καὶ προέδωκαν τοὺς γονεῖς αὐτῶν ἐν πονηρίᾳ μεγάλῃ καὶ ἤκουσαν προδόται γονέων καὶ προδόντες οὐκ ὠφελήθησαν, ἀλλ' ἔτι προσέθηκαν ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῶν κτλ.* Vide quam antiquis temporibus librarios fugerit res notissima, verbum *ἀκούειν* saepius idem esse ac: fama aliqua flagrare, cognomine aliquo notari. Quod si vetus scriba memoria tenuisset, vix addidisset *προδόντες*, quod nexui sententiarum officit. Versiones quidem veteris erroris testes sunt; vulg. enim habet: et audierunt proditores parentum et prodentes profecerunt, quae absurda verba Galliciolli non recte, ut Dresselio visum est, sed absurdum in modum vertit. Pal. sane rectius legit: et audierunt traditores parentum et tradentes eos nihil sibi profuerunt. Si igitur *προδόντες* eiicis, sententia haec est: quamvis proditorum nomine flagrantes, tamen ne hac quidem infamia ad virtutem redacti sunt, sed nequitiam nequitiis auxerunt.

p. 13, l. 18. Hilg. scribit *καὶ ἐστάθη ὄπισθέν μου κτλ.* Lipsiensis codex habet *καὶ ἐστάθη μοι*, Sin. locum propter homoet. omittit; ex vulg. v. stetit *post* me Hilgenfeldius locum refingendum putavit; sed fortasse rei satisfacit *ἐπεστάθη μοι*, quod nulla fere mutatione scribitur.

p. 13, l. 21. *Ἑρμᾶ, παῦσαι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν σου πάντα ἐρωτῶν.* Sic cum Sinaitico scriben-

*) Conf. Luc. IV, 17. ut revolvit librum = *καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον* (var. l. *ἀνοίξας*).

dum erat, non cum Hilgenfeldio *πάντοτε*, quod frustra ille commendatum vult versionis vocabulo „tantum". Pal. illam vocem non exprimit.

p. 14, l. 12. *ἀλλ' ὡς ἐμμένεις τῇ ἁπλότητί σου, μεῖνον, καὶ καθίσεις μετ' αὐτῶν.* De forma verborum, utrum *ἐμμένειν* an *μένειν* in priore vel altero membro scriptum fuerit, ex libris manuscriptis nihil pro certo statuendum est; uterque vero interpres ita vim orationis auget, ut scribat: sicut *manes*, in simplicitate tua *permane*, quare fortasse praeferendum est hoc: *ἀλλ' ὡς μένεις, τῇ ἁπλότητί σου ἔμμεινον.*

p. 17, l. 12. *Εἰπόν σοι, φησί, καὶ τὸ πρότερον, καὶ ἐκζητεῖς ἐπιμελῶς· κτλ.* Illud *τὸ πρότερον* minime cum Hilgenfeldio vertere velim: Dixi tibi et *priorem rem*, est enim dixi tibi *etiam antea*. Quam ob rem scribendum puto, *εἰπόν σοι, φησί, καὶ τὸ πρότερον, ὅτι ἐκζητεῖς ἐπιμελῶς,* vestigia interpretis vulg. sequens. p. 18, lin. 16. Non est, cur contra versiones, contra fragmentum apud Clem. Alex. servatum, et contra Sin. ** pro *ἔστιν* cum Lips. *ἔσται* scribamus.

p. 18, l. 20. *ἄκουε νῦν περὶ τῶν λίθων· οἱ μὲν οὖν λίθοι οἱ τετράγωνοι καὶ λευκοὶ καὶ συμφωνοῦντες κτλ.* Nexus sententiarum suadet, ut (non *λευκοί* sed) *λαμπροί* in archetypo scriptum fuisse putemus, sicut p. 15, l. 12. Atque Vulg. hoc loco non habet lapidem *album*, sed sane rectius *candidum* (*λαμπρόν*).

p. 21, l. 18 sqq. Locus quem dubito num sanari possit, hic est: *Ὅτε ἐπλούτεις ἄχρηστος ἦς* (*ἦσθα*), *νῦν δὲ εὔχρηστος εἶ καὶ ὠφέλιμος τῇ ζωῇ· εὔχρηστοι γίνεσθε* (*ἦσθε* cod. Lips.) *τῷ θεῷ· καὶ γὰρ σὺ αὐτὸς χρᾶσαι* (*χρησθήσῃ* Hilgenf.) *ἐκ τῶν αὐτῶν λίθων.* Primum enim inepte ab uno Herma ad universos fit transitus illis verbis *εὔχρηστοι γίνεσθε τῷ θεῷ*, neque miror, quod Vers. vulg. haec verba omittit. Deinde si vulg. vers. habet haec: Nunc vero utilis es *et aptus vitae tuae*, Palat. haec: modo autem utilis es *et proderit vitae tuae*, facile vides, neutrum quadrare in graecum textum, quo vitam aeternam, non vitam Hermae expressam habes. Nec versiones inter se conspirant. Possis suspicari, vulg. vers. ortam esse ex *ὁμόφωνος* quod loco illius *ὠφέλιμος* fuerit, vel id, interpretem Pal. legisse in graeco exemplari: *νῦν δὲ εὔχρηστος καί ὠφέλιμον ἔσται* (pro ει τηι) *ζωῇ σου.* Sed de scriptura agitur archetypi, non de qualibuscunque suspicionibus. Postrema verba in Sinaitico desunt.

p. 23, l. 18. *ὅταν οὖν τὰ ἔργα τῆς μητρὸς αὐτῶν πάντα ποιήσῃς, δύνασαι ζῆσαι.* Quae verba falsa interpungendi ratione apud Pal. sic leguntur: Quando ergo operas matris earum servaveris, omnes poteris *videre*, pro: servaveris omnes, poteris *vivere* (*ζῆσαι*). Paullo inferius graecis (p. 24, l. 1) *ἄκουε, φησί, τὰς δυνάμεις ἃς ἔχουσι· κρατοῦνται δὲ ὑπ' ἀλλήλων αἱ δυνάμεις αὐτῶν καὶ ἀκολουθοῦσιν ἀλλήλαις κτλ.* apud Palatin. respondent haec: et ait mihi, audi *virtutes ab alterutro*, virtutes ipsarum quas habent, tenentur ab alterutro et sequuntur alterutro etc. Quae ita facile corrigas velim, ut verba *virtutes ab alterutro* eiicias, quasi e dittographia orta. Sed et graecus textus aliquid vitii videtur contraxisse. Ac primum quidem illud *δέ* in *κρατοῦνται δέ* suspicionem movet. Deinde vulg. v., quae plerumque archetypum diligentius atque accuratius sequitur, haec exhibet nostro loco: Audi, inquit, virtutes *aequales* habent, connexae *autem* ad invicem sunt virtutes earum et sequuntur se invicem etc. Suspicor igitur, vulg. interpretem hoc loco recte in archetypo legisse: *ἄκουε, φησί, τὰς δυνάμεις ἴσας ἔχουσι, κρατοῦνται δέ κτλ.*, nulla mutatione literarum facta. p. 25, l. 2 cum Maur. Schmidt hoc loco et deinde formam *παηναι* Sinaitici equidem praefero alteri *παῦσαι*, quam Lips. exhibet. p. 27, 7. *τί σὺ ὑπὸ χεῖρα αἰτεῖς ἀποκαλύψεις ἐν δεήσει.* De phrasi *ὑπὸ χεῖρα* non dubitandum est, quippe quae non semel in Pastore occurrat; sensus vero interpretibus obscurus fuit, vertentibus modo: „subinde", modo „frequenter", modo „sub manu"; est vero *ἐξ ὑπογυίου, ἐκ τοῦ παραχρῆμα*, ex tempore, nulla mora interposita.

p. 28, l. 19. Sine dubitatione hunc locum, mutata interpungendi ratione ad auctoritatem Sinaitici codicis sic scribendum puto: *οὕτως καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὴν ἀποκάλυψιν, ἣν ὑμῖν ὁ κύριος ἀπεκάλυψεν, ὅτι ἐσπλαγχνίσθη ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἀνενεώσατο τὸ πνεῦμα ὑμῶν καὶ ἀπέθεσθε τὰς μαλακίας ὑμῶν κτλ.*

p. 29, l. 15. Nihil est, quod legimus: *ἀπέχεις ὁλοτελῆ τὴν ἀποκάλυψιν· μηκέτι μηδὲν αἰτήσῃς κτλ.* Pro *ἀπέχεις* lege *ἀλλ' ἔχεις κτλ.* p. 31, l. 6. De bestia fabulosa visionis quartae haec dicuntur: *καὶ τὸ τηλικοῦτο κῆτος ἐκίνει ἑαυτὸ χαμαὶ καὶ οὐδὲν εἰ μὴ τὴν γλῶσσαν προέβαλλε καὶ ὅλως οὐκ ἐκινήθη*; quod Pal. vertit: at bestia *volvebat* se in terra et nihil aliud faciebat nisi linguam proferebat et in totum se non movebat, Vulg. haec habet: „et tam grandis bestia extendit se in terram et nihil nisi linguam proferebat et in totum non movit se." Vix ferendum videtur illud *ἐκίνει ἑαυτὸ χαμαί*, fortasse primitus fuit *ἔκλινεν ἑαυτὸ χαμαί.* p. 30, l. 2 cum Hilgenfeldio *σπανίως* pro *ῥαδίως* legendum est, cf. eius librum (p. 175). p. 33, l. 23 *δοκῶν ὅτι τὸ θηρίον ἔρχεται*; fortasse recte *δοκῶν* legitur, aptius

tamen *προσδοκῶν*, quamquam quod Pal. *sperans* habet, nihil facit ad rem, nam p. 65, l. 14 idem voc. *δοκεῖν* interpretatur sperandi vocabulo.

p. 38, l. 5. *οἱ μὲν γὰρ λαμβάνοντες θλιβόμενοι κτλ.* Ex his verbis corrigas velim, quae Palat. habet „coacti *aut* aliqua necessitate", nam sine dubio *aut* expungi debet. Paullo inferius in eadem versione Pal. non legendum est: *in* poenitentia tua et *domui* tuae, sed *ut* poenitentia tua et dom*us* tuae etc. Extrema pars mandati secundi etsi in Sin. deest, tamen verbum *ἀμίαντος* satis confirmatum est. Verum est, vocabulum Pal. *indeficiens* apud Deum non congruere cum graeco, sed vix est cur aliud quoddam vocabulum in archetypo fuisse putemus, vel *ἀμείωτος* vel *ἄμωμος*, cui favere potest Vis. IV. 2. p. 32, l. 12.

p. 39, l. 12. *οὐδέπω γὰρ, φημί, κύριε, ἐν τῇ ἐμῇ ζωῇ ἀληθὲς ἐλάλησα ῥῆμα, ἀλλὰ πάντοτε πανούργως ἐλάλησα μετὰ πάντων κτλ.* Priore loco vox *ἐλάλησα* recte se habet et versionibus agnoscitur („locutus sum"), altero loco nec re commendatur, neque versionibus confirmatur. Compares velim haec: Vers. vulg.: quia nunquam verum locutus sum verbum in vita mea, sed semper in *simulatione vixi*, Pal. semper cum omnibus *callide vixi.* Emendandi ratio satis evidens ac certa mihi non suppetit, *περιεπάτησα, ἐπορευσάμην, ἔζησα* magis sensum ostendunt quem requiras. Eodem modo corruptelam indicasse nunc satis habeo in l. 24, p. 39. *φύλασσε αὐτά, ἵνα καὶ τὰ πρότερον ἃ ἐλάλησας ψευδῆ ἐν ταῖς πραγματείαις σου, τούτων εὑρεθέντων ἀληθινῶν κἀκεῖνα πιστὰ γένηται.* Pal. vertit: Custodi ea, ut ea quae prius perperam egisti, *posterioribus factis tuis in veritate approbatis*, illa quoque priora fidem consequantur. Nam *his in veritate repertis* et illa quasi vera comprobabuntur, si ex hoc tempore curaveris etc. Vulg. cura ut et illa quae prius locutus es falsa pro negotiis tuis, *his verbis* et illa fidem recipiant.

Festivum genus erroris, ut ita dicam, est in Vulg. vers. ad p. 40, l. 9, ubi verba *πάντοτε μνημονεύων τῆς σῆς γυναικός*, quae Palat. recte ad uxorem legitimam trahit, a vulg. interpr. redduntur ita: tu autem semper memor esto *Domini.* Ad p. 41, l. 2, ubi graecus habet *ἀνομία οὐκ ὀφείλει ἀναβαίνειν ἐπὶ καρδίαν ἀνδρὸς δικαίου* Pal. perverse sic vertit: Nequitia non debet cor hominis violare. *Justitiam observa;* haec velim corrigas „cor hominis violare *iustitiam observantis.*

p. 41, l. 15. *ἐὰν οὖν, φημί, κύριε, μετὰ τὸ ἀπολυθῆναι τὴν γυναῖκα μετανοήσῃ καὶ θελήσῃ κτλ.* Sine dubio huic scripturae praeferenda est Sinaitici haec: *μετὰ τοῦ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα μετανοήσῃ ἡ γυνή κτλ.* p. 44, l. 17. post *δυσκόλως γὰρ ζήσεται* inserendum videtur ex versionibus *θεῷ.* p. 46, l. 3. in Vulg. vers. loco vocabuli *apparebit* bis legendum censeo *parebit*; Pal. praebet *serviet.*

p. 46, l. 12. *ἀμφότερα οὖν τὰ πνεύματα ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατοικοῦντα ἀσύμφορά ἐστι καὶ πονηρὰ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ κτλ.* Vox *ἀσύμφορα* confirmatur fragmento Pseudo-Athanasii, cuius quidem auctoritas in tali re minima est. Vers. vulg. solum vocabulum *πονηρά* reddidit; Palatinus vero scribens: *invicem contrarii* et inutiles sunt et male est homini in quo utrique habitant, certe *ἀσύμφωνα* ante *ἀσύμφορα* in graeco legit, cui scripturae egregie favent, quae in ipsa similitudine de melle et absinthio inter se pugnantibus postea pluribus verbis exponuntur.

p. 49, l. 15. Post *ἐκεῖνος* in hoc verborum ordine: *εἶτα .. γίνεται ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος κενὸς ἀπὸ τοῦ πνεύματος* desideratur vox ea, quae vocabulo *continuo* (in Pal.) respondeat, fortasse *εὐθέως* interseres ut p. 52, l. 4.

p. 52, l. 10. Mira est diversitas scripturae in hoc loco. Lips. *καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ· ὅρα οὖν καὶ τοῦ ἀγγέλου τῆς πονηρίας*; fragmentum: *καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐγκρατὴς αὐτοῦ γενοῦ, ὅρα οὖν κτλ.* Pal. Huic ergo crede et opera eius *suscipe.* Haec autem sunt opera nuntii nequitiae (sic), qui super iustitia est. Audi nunc et illius nuntii nequitiae opera. Vulg. et operibus eius. *Accipe* nunc et genii (nuncii) iniquitatis opera. Non est res magni momenti, explorare quae verba in apogr. lips. exciderint, quum per se lectio codicis bene se habeat. p. 53, ad l. 5 notandum est, in Palatinae versionis voce *et fraudem* latere attributum aliquod, nam *πλεονεξία καὶ ὑπερηφανία πολλή τις καὶ ἀλαζονεία κτλ.* redditur his: avaritiam et fraudem et superbiam et licentiam, fortasse igitur scribendum est avaritiam et *grandem* superbiam. p. 53, l. 9. *μηδὲ αὐτῷ πίστευε*, legas velim *μηδὲν αὐτῷ πίστευε* ex versionibus correctum, praesertim cum etiam fragmentum *μηδέν* exhibeat. Deinceps l. 10 iterum eligendum est inter *ἀσύμφορα* et *ἀσύμφωνα*; *ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά εἰσι καὶ ἀσύμφορα τοῖς δούλοις τοῦ θεοῦ.* Ita Lipsiensis appellat opera, quae angelo nequitiae tribuuntur. Palatinus „inutilia" servis dei reddit, Vulg. autem versio „non conveniunt" servo Dei. Et re vera *ἀσύμφωνα* aptius videtur esse vocabulum. p. 53,

l. 14 *πιστότατος ἀνήρ* recte, quare in Vulg. vers. non *felicissimus* homo, sed *fidelissimus* homo edi debuerat, Pal. habet *fidelis*.

p. 55, l. 7. *διςσοὶ οὖν εἰσιν οἱ φόβοι. ἐὰν γὰρ μὴ θέλῃς τὸ πονηρὸν ἐργάσασθαι, φοβοῦ τὸν κύριον καὶ οὐκ ἐργάσῃ αὐτό· ἐὰν δὲ θέλῃς πάλιν τὸ ἀγαθὸν ἐργάσασθαι, φοβοῦ τὸν κύριον καὶ ἐργάσῃ αὐτό.* De duplici timore domini ita statuendum videtur, ut alius animum a pravis consiliis capiundis deterreat, alius in bonis corroboret hominis voluntatem. Rectius igitur in priore orationis parte negationis particulam eiicies cum utroque interprete. p. 57, l. 2. post verba *ἀπὸ τρυφῆς* inserendum est ex Palatino *πολλῆς καί*. Ad lin. 10. Facile corriges Vulg. v., quae interrogandi formam plane neglexit, eodem loco eiicies glossema Palatini interpretis: De inlatione autem iniuriarum memor esse noli, maledictionem ne senseris. p. 58, l. 5. In Pal. addas quaeso vocabulum, quod respondeat graecis *τὴν δύναμιν*, sic fere legendum: De iis, quae bona sunt, expone mihi *virtutem*, vel potius cum optimo codice: *eorum*, quae bona sunt, expone mihi *virtutem*. Ad p. 59, l. 1. scribendum est, humiliorem esse *omnibus* hominibus (*πάντων ἀνθρώπων*).

p. 59, l. 6. *χρεώστας μὴ θλίβειν καὶ ἐνδεεῖς.* Fragm. Antiochi Hom. omittit *καί*, apud Pseudo-Athan. haec sunt eius fragmenta verba: *χρεώστας μὴ θλίβειν, ἐνδεεῖς μὴ λυπεῖν.* Vulg. v. nihil nisi Debitores non premere, Pal. aere alieno oppressos non esse. Pro certo nihil affirmare ausim, tamen *καί* suspectum videtur.

p. 64, l. 12. *οὕτως οἱ ἄνθρωποι οἱ πιστεύσαντες καὶ εἰς ταύτας τὰς πράξεις τὰς πολλὰς ἐκπίπτοντες τὰς προειρημένας κτλ.* Pal. et eo quod *tantum* crediderunt, et in actibus saecularibus errantes toto sensu exciderunt etc. Vulg. sic et homines qui *talibus* crediderunt, ii negotiis et actionibus multis *inciderunt* et evacuantur a sensu suo etc. Inserendum igitur videtur post *οἱ πιστεύσαντες* vocab. *μόνον*, ut paullo ante lin. 3. Deinde sine dubio non *ἐκπίπτοντες* sed *ἐμπίπτοντες* primitus erat scriptum.

p. 65, l. 15. *ἀμφότεραι οὖν αἱ πράξεις λυποῦσι τὸ πνεῦμα* per se bene legitur, aeque fragm. et vulg., sed haud scio an Pal. rectius scripserit haec: ambo ergo actus *tristitiae* tristari faciunt spiritum sanctum, ita ut legendum sit: *ἀμφότεραι οὖν αἱ πράξεις τῆς λύπης λυποῦσι τὸ πνεῦμα.* p. 66, l. 9 in Pal. nunquam edi debuerat „et *esto* illi probabilis, sed *est*. Deinde Pal. quum exhibeat: et *semper* quae bona sunt, cogitat, nobis auctor est ut post *καί* l. 10 putemus excidisse vocabulum *ἀεὶ* (*ἀγαθὰ φρονεῖ*).

p. 68, l. 12. Malim cum Palatino *προφήτην* scribere, quum *ψευδοπροφήτην*, quod vocabulum loco non aptum est; lin. 13. ex voce *ἄφρων* intellegimus, in Pal. non *impudens*, sed potius *imprudens* legendum esse. Deinde ad lin. 21 verba Pal. hoc fere modo emendari possunt: audi, inquit, de utrisque *prophetis* sermonem *meum, ut* cognoscas prophetam *et* pseudoprophetam. Deinceps ad lin. 28. Pal. pluribus locis emendari debet his verbis reponendis: Hominibus *omnibus semet* humiliorem praestat et nihil omnino *interrogatus* ait (?) nec secre*tis* loquitur. — Deinde: implet homi*nem* pro homines. Eodem modo exstant permulta in vulg. versione Hermae apud Dresselium p. 474 sq., quae correctorem desiderant. Ut exemplo rem ostendam, ad p. 69, l. 14 sic verba refingas: Primum enim homo, qui putatur spiritum habere, exaltat se etc. Atque sic iam ab initio ex optimo libro msc. verba excudi debebant. Pal. (Dressel. p. 475, l. 6) sic legendus est: *Et* spiritus terrenus, qui est in illo, *timore* perterritus fugit.

p. 70, l. 7. *μὴ δυνάμενος λαλῆσαι*, aptius est *μηδὲν δυνάμ. λ.* (loqui *nihil* potest). Pro vinum *vetus* in Pal. fortasse ad graecum exemplar reponendum est vinum *vel oleum* (*ἢ ἔλαιον*) p. 70, l. 14. Ordo verborum hic fuisse censendus est: *ἀπὸ τῆς ζωῆς καὶ τῶν ἔργων.* l. 19. *Ἄκουσον οὖν τὴν παραβολήν.* l. 26. non scriptum erat *λάβε οὖν τὴν δύναμιν*, sed *λάβε νῦν τ. δ.*

p. 73, l. 4. *σὺ οὖν στεφανωθεὶς κατ' αὐτῆς ἐλθὲ πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν τῆς δικαιοσύνης καὶ παραδοὺς αὐτῇ τὸ νῖκος ὃ ἔλαβες δούλευσον αὐτῇ, καθὼς αὐτὴ βούλεται.* Primum emendandum est in fine periodi apud vulg. interpretem *sicut volueris*, in cuius loco reponendum: sicut ipse (sic liber msc.) *voluerit*, ad *Deum* enim, non ad victoriam ipse pertinet. Etiam graeca verba mutila tradidit Lipsiensis. Nam Pal., qui reddidit exemplar graecum multum nostro codice integrius, hoc scribit: Tu ergo accepta victoria et coronatus de illa, veni ad desiderium iustitiae et bene trade ei victoriam quam accepisti et servi actibus, qui (quae) illi placent. Duobus igitur lacunis expletis hunc fere in modum locus emendari potest: *σὺ οὖν νῖκος λαβὼν καὶ στεφανωθεὶς κατ' αὐτῆς ἐλθὲ πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν τῆς δικαιοσύνης καὶ εὖ παραδοὺς αὐτῇ τὸ νῖκος κτλ.* — p. 73, l. 18. Quum vulg. interpr. haec habeat: ut poenitentiam agant et poenitentia eorum munda fiat, textus graecus explendus est ita: *ἵνα μετανοήσωσι καὶ ἡ μετάνοια αὐτῶν καθαρὰ γένηται.*

p. 75, l. 16. Hic incipit primum folium codicis Lipsiensis, de cuius emendatione specimen illud prius editum conferendum est; verum est, me nunc de compluribus locis aliter atque olim iudicare, nonnulla vero iteratis nunc curis repetere apud animum constitui. Lin. 17 quod exstat *μόνον,* suadet ut vocabulum *autem* in vulg. versione positum, in *solum* commutemus; deinde ad p. 76, l. 7 in eadem versione pro *credunt* legamus necesse est cum Bodleiano *sperant* (ἐλπιζόντων). In Pal., qui post lacunam rursus accedit, pluribus vitiis correctis sic scribendum videtur (Dresselii ed. p. 481) „Non temptat plena (scit enim quia *plena* sunt), temptat autem illa quae *plena non sunt.*

p. 77, l. 9. Lege π ά ν τ ω ν τῶν ἔργων, cum l. 17 et cum versionibus.

p. 78, l. 8. In prima similitudine Pastoris haec habet graecus: ταῦτα οὖν ὁ ἑτοιμάζων εἰς ταύτην τὴν πόλιν οὐ δ ύ ν α τ α ι ἐπανακάμψαι εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. Illud δύναται corrigendum est sine dubio in δ ι α ν ο ε ῖ τ α ι, ad „cogitat" utriusque interpretis. Paullo prius lin. 7 quae in graeco recte leguntur haec τί ὧδε ὑμεῖς ἑτοιμάζετε ἀγροὺς καὶ παρατάξεις πολυτελεῖς καὶ οἰκοδομὰς καὶ οἰκήματα μάταια, in utroque interprete ea detorsa habemus; Vulg. v.: quid hic emitis agros et apparatis lautitias et aedificia et habitationes supervacuas? Pal. sic: quid hic emitis agros et praeparatis aedificia et habitationes supervacuas? Atque vocabulum παρατάξεις similiter p. 79, l. 18 invenimus, ubi Pal. id reddit: *apparatus,* idem vocabulum παρατάξεις restituendum est p. 78, l. 15, ubi perperam πράξεις editur, nam etiam hoc loco uterque interpres *apparatus* adhibet. Poteris igitur conjectura interpretationi vulg. haec restituere: quid hic emitis agros et apparatus lautitiae vel lautos. Verum est, potuisse vel haec in graeco legi: τί οὖν ὑμεῖς ἀγοράζετε ἀγροὺς καὶ ἑτοιμάζετε παρατάξεις κτλ., sed fragmentum apud Antiochum et ipse Lipsiensis praebent quod supra exscripsi, Sinait. autem locum non habet.

p. 78, l. 12. De versionibus primum notandum, Palatinum perverse addidisse: aut is qui habet potestatem regionis; deinde in Vulg. v. post *negare legem tuam* excidisse: vide ne perniciosum tibi sit negare tuam legem, quae verba quomodo potuerint omitti, facile intellegitur.

p. 79, l. 7. Sic verba vulg. interpretis emendari debent: *ut* cum voluerit dominus civitatis huius expellere te *contradicentem* legi eius, *exeas ex eius civitate* et eas in civitatem tuam. — Similiter vox *contradicens* in Pal. emendanda est.

p. 79, l. 10. Uterque interpres quum scribat: sine injuria laetus (vel hilaris) fortasse καί eiiciendum est ex hac phrasi: ἀνυβρίστως καὶ ἀγαλλιώμενος. Nec lin. 19 ἃς ἐλάβετε sanum esse videtur; Pal. *quia propterea.* Ceterum interpr. vulg. fortasse ex Jesaiae primo capite ea sumpsit, quibus locum (lin. 17 sq.) locupletavit.

p. 80, l. 3. Denuo nobis occurrit in hoc loco dubitatio, utrum ἀσύμφορον an ἀσύμφωνον rectius scribatur. Sed quoniam gentiles homines et eorum divitiae disertis verbis opponuntur servis Dei horumque abundantiae certe diversi generis, equidem ἀσύμφωνον cum Palatino unum rectum puto contra Lipsiensem cui vulg. versio assentitur. p. 80, l. 11. Dresselius in vers. vulg. non *cogitarem*, sed *disputarem* in textum recipere debebat, proxima linea non *diu* sed *tu* scribendum erat.

p. 81, l. 14. Difficilis est locus, quem dubito num certum in modum possit restitui. Exponit scriptor similitudinem illam de *vite* et *ulmo*; vitis quidem fructifera est, sed non nisi adiuvante ulmo, arbore per se infructuosa. Similiter pauper homo frugifer est apud Deum, cui eius preces probantur, dives autem ad deum inops est. Poterit tamen dives ad communem fructum aliquid afferre praestando pauperi ea, quae ad vitae pertinent necessaria. Tum enim pauper grato animo impellitur, ut pro divite preces effundat. Res igitur quamquam satis paradoxa est, tamen facilis est ad intelligendum. In ipsa autem parabola memorabilis occurrit phrasis haec (p. 80, l. 20): ἀλλ' ἡ ἄμπελος αὐτή, ἐὰν μὴ ἀναβῇ ἐπὶ τὴν πτελέαν κτλ. et deinceps: ὅταν οὖν ἐπιρριφῇ ἡ ἄμπελος ἐπὶ τὴν πτελέαν. Cui in ipsa explicatione similitudinis respondet: ὅταν οὖν ἀ ν α π λ ῇ ὁ πλούσιος ἐπὶ τὸν π έ ν η τ α καὶ χορηγήσῃ αὐτῷ τὰ δέοντα κτλ. Illud ἀναπλῇ nihil est, vix vero aptius quod Hilgenf. coniectura posuit ἀναπνῇ, huic enim eodem modo ratio construendorum verborum obversatur, neque Hilgenfeldio concedendum est, vocabulum inventum confirmari verbis Palatini; *reficitur* (vel reficietur) *pauper a divite.* Vulg. versio locum non integrum vertit. Paullo aptius excogitare possis vocabulum ἀνάπτῃ, sed in tanta difficultate audeo repetere, quod olim quamvis dubitanter proposui legendum: ὅταν οὖν ἀναβῇ ὁ πλούσιος ἐπὶ τὸν πένητα. Satis obscura videtur esse talis locutio, sed sane proximis explicatur, atque nisi fallor, animum lectoris adiuvat iocosa quadam atque inopinata personarum permutatione. Nam revera dives pendet ex paupere ἐν πνεύματι, non contra. — In vulg. v. paullo post non *societatem* sed quod plures libri mscr. apud Cote-

lerium recte praebent, *siccitatem* scribendum esse, ipse intelleges. In Pal. p. 487 Dress. non praestantesque sed praestant*es* scriptum erat.

p. 83, l. 16. *γνωσθήσονται πάντες οἱ εὐθαλεῖς ὄντες ἐν τῷ αἰῶνι ἐκείνῳ.* Sine dubio *οἱ* expungendum est, est enim *εὐθαλεῖς* praedicatum de subjecto *δικαίων οἱ καρποί.* p. 84, l. 1. est scribendum *οἱ γὰρ δουλεύοντες.* p. 84, l. 15. Haec debet esse forma interrogationis: *Νηστεία δέ, φησί, τίς ἐστιν αὕτη ἣν νηστεύετε,* l. 21 legas velim: *τίς ἐστι νηστεία πλήρης καὶ δεκτὴ τῷ κυρίῳ*; sic enim verba ordinanda sunt et propter naturam vocis *δεκτή* et propter interpretes: quod (quid) sit jeiunium plenum acceptumque Deo. p. 84, l. 15. *οὕτω γὰρ νηστεύων οὐδὲν ἐργάσῃ τῇ δικαιοσύνῃ,* Hilgenf. sic cum vers. vulg., sed quum dativus *τῇ δικαιοσύνῃ* vix possit explicari, praefero cum Palat. scribere: *οὐδὲν ἐργάσῃ τῆς δικαιοσύνης* (Pal. nihil praestas aequitatis). l. 28. *πίστευσον δὲ τῷ θεῷ· καὶ ἐὰν ταῦτα ἐργάσῃ κτλ.* Haec verba, quae est stili Hermae neglegentia, ferri possunt, praestat tamen cum utroque interprete scribere, quod unum rei ipsi respondet: *πίστευσον δὲ τῷ θεῷ ὅτι ἐὰν ταῦτα ἐργάσῃ κτλ.*

p. 85, l. 5. Sequitur ut ad similitudinem de *servo fideli* transeundum sit. Atque primum post *ἀμπελῶνα* nonnulla exciderunt, nam V. vers. habet: posuit vineam *successoribus, deinde peregre profectus,* quae verba sane vitiose tradita sunt, ut ex varietate lectionis *futuris*, *affuturis* intellegis. Pal. paullo post haec similia habet: cui *peregre afuturus.* Quomodo igitur graecus textus ad archetypum revocari debeat, mihi non constat, fortasse tale quid excidit: *ὕστερον δὲ εἰς ἀποδημίαν πορευσόμενος καί.* In vulg. v. ad p. 85, l. 24 inseres *omnes* extractas herbas, ut antea, idem de Palat. valet. p. 85, l. 21. *μετὰ δὲ χρόνον.*

p. 86, l. 7. *μετὰ ἡμέρας ὀλίγας δεῖπνον ἐποίησεν ὁ οἰκοδεσπότης αὐτοῦ.* In hoc loco addit vers. v. post dies deinde non multos, *convocatis amicis,* paterfamilias misit etc. Haec versio igitur testis est, ut, ad lin. 16, 17 respicientes, eum repperisse suspicemur post *ὀλίγας*, haec fere: *συγκαλεσάμενος τοὺς φίλους δεῖπνον ἐποίησεν αὐτοῖς.* p. 87, l. 5 post *χαρήσῃ* legit vers. vulg. aliquid, cui vocem *maxime* respondere putavit; Pal. omittit totam sententiam. Quum deinceps in Pal. haec legamus: Jeiunium hoc custodi in mandatis Domini, valde enim bonum est, facile ex altero interprete hunc locum sic emendabimus: Jeiunium hoc custoditis mandatis domini, valde bonum est. p. 88, l. 24 pro *τι* post *ἀκηκοὼς* legendum suspicor *αὐτάς.* In interprete utroque p. 494, 495 apud Dresselium initio capitis quarti post *sum* legendum *multum* eum (illum). In vulg. v. paullo inferius cum optimis libris ms. non est legendum omnem similitudinem *explicat,* sed *exsolvit,* deinde non: ut petentibus a se *cuncta,* sed *cunctis.*

p. 89, l. 13. Textus graecus nonnulla omittit, „qui in similitudine est positus,“ quae facili conjectura restitui possunt. Interpretes si exitu cap. V. servili *loco* (servi *loco*) habent, initio autem cap. VI. servili *conditione* (p. 89, l. 31, p. 90, l. 1) revocant in mentem commistionem communem vocum *τόπος* et *τρόπος,* quum graecus noster utroque loco *τρόπον* praebeat, fortasse non primitus, sed librariorum demum socordia.

p. 90, l. 15 sqq. Vehementer doleo, quod hunc locum, maxime vexatum, emendare nequeo, praesertim quum is sit, qui ad doctrinam patrum de natura spiritus sancti accurate cognoscendam magni sit momenti. Hoc saltem opus est, reiectis iis lectionibus quae nullae sunt, magnum consensum versionum ostendere; habent enim paene ad verbum haec: Quare autem dominus in consilium (consilio) adhibuerit filium de haereditate honestosque nuncios, audi. Spiritum illum sanctum, qui creatus (infusus) est omnium primus (purus) in corpore in quo habitaret, deus (fundavit atque statuit) collocavit (scilicet) electum (intellectum) corpus, quod (ut) ei placuit (videbatur). Haec habes in latinis. Cum quibus si graeca comparaveris, nihil, opinor, graecis verbis aliqua specie certitudinis addendum putabis, quam vocem *ἐκλεκτήν* post *σάρκα,* ut Hilgenfeldio rectissime visum est (p. 90). Nam de prorsus diversa descriptione spiritus sancti aliis viris iudicandi facultatem libenter concedo.

p. 91, l. 5. *ηὐφράνθην, φημί, κύριε, ταύτην τὴν ἐπίλυσιν ἀκούσας,* quod apte reddit Pal. et ego dixi, percepi gaudium, domine, audita hac exsolutione; Vulg. autem corrupta haec scribit: percepi, inquam, domine, *voluntatem* audita hac exolutione. Mutato consilio nunc scribendum censeo, satis levi literarum permutatione, percepi *voluptatem.* p. 91, l. 8 quod vulg. vers. exhibet: et tecum fuisse judicetur, nihil est; Pal. graecum textum recte interpretatus est. In medio capite male Dresselius edidit: *quid, si per ignorantiam aliquam id admissum est*; nam ex apparatu Cotelerii intellegere debebat, in Bodleiano exstare *aliquid* pro *aliquam id.* Eadem iniuria Dresselius (p. 500) initio capitis II. rectam scripturam *ait mihi, vides hunc pastorem* ad marginem reiecit.

p. 93, l. 13. In omittendis duobus vocabulis *τῶν κενῶν* cum Hilgenfeldio me non consentire libere fateor, quamquam non temere vir doctissimus ea excludit. In Pal. ad p. 93, l. 15 pro *veri* dei legendum videtur *vivi* dei, cum Vulg. et Lipsiensi (*τοῦ ζῶντος*). Interpres vulg. p. 502, l. 8 apud Dressel. habet: et flagellum *in manu*, Pal. flagellum grande, Lips. *μάστιγα μεγάλην*; legas itaque flagellum *magnum*, vel *immane*.

p. 94, l. 17. post *περίπικρον* interseras velim *καὶ ἄγριον*, nam vers v. habet: aspectum autem trucem *et saevum*; Pal. aspectum autem amarum *saevumque*.

p. 95, l. 2. *καὶ ἔβαλεν αὐτὰ εἴς τινα τόπον κτλ.* Pal. *eaque compellebat* et in praecipitem locum . . . mittebat; vers. v.: et *compellebat* ea in praecipitem locum etc. Fortasse in archetypo graeco ante *ἔβαλεν* aliud quoddam verbum erat, velut *ἐβιάσατο*.

p. 95, l. 14. *τίς ἐστιν οὗτος ὁ ποιμὴν ὁ οὕτως ἄσπλαγχνος καὶ πικρὸς καὶ ὅλως μὴ σπλαγχνιζόμενος ἐπὶ τὰ πρόβατα ταῦτα.* Hunc locum inepte reddit Pal.: qui nullo modo movetur *in iniuria* horum pecorum, legas potius *miseria* horum pecorum.

p. 96, l. 7. *καὶ λέγουσιν ἑαυτοὺς μὴ εὐοδοῦσθαι ἐν ταῖς πράξεσιν αὐτῶν*; Vers. v. haec apte: et dicunt in actibus suis successum se non habere; Pal. vero: et *ducunt* se in actibus suis nihil *proficientes* (*perficere*). Cuius verba facili negotio sic corriguntur: et *dicunt* se in actibus suis nihil *proficere*.

p. 96, l. 10. *καὶ οὐκ ἀναβαίνει αὐτῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν ὅτι ἔπραξαν πονηρὰ ἔργα, ἀλλ' αἰτιῶνται τὸν κύριον.* Quum Interp. Pal. plenius exhibeat *Adhuc* et Dominum deum causantur, suspicor scribendum esse *ἀλλ' ἔτι αἰτιῶνται κτλ.* conf. *λοιπόν* apud Antiochum.

p. 96, l. 14. Non observavit Hilgenfeldius, post *καρδία αὐτῶν* propter homotel. in graecis satis multa excidisse, quae ex duobus interpretibus et fragmento facile restitui possint.

p. 96, l. 22. Hilgenf. *πολὺ ἔλασσον, φημί, κύριε, βασανίζονται* inseruit, ut lacunam expleat, quae apud vers. v. comprehendit verba: *exiguum* igitur cruciantur, apud Pal.: *multum exiguum*, domine, cruciantur. Praeferendum videtur: *ἐλάχιστον οὖν*, cui et grammatica ratio favet et quod p. 97, l. 9 exstat *ἐλάχιστος* (exiguum).

p. 97, l. 18. *καὶ οὐ νοεῖ τὴν πρᾶξιν ἣν ποιεῖ εἰς τὴν αὔριον· ἐπιλανθάνεται γὰρ τί πρὸ μιᾶς ἔπραξεν.* Erunt sane qui hunc locum defendant; tamen non solum sensus prioris sententiae friget, sed uterque interpres aliter sententias distinet, quam in graeco factum videmus esse. Pal. ita scribit: nec intellegit quid admittat. Et sic postea (leg. postera) obliviscitur, quid egerit pridie; vers. v.: nec intellegit, quid admittat; ac die postero obliviscitur quid fecerit pridie. Ac re vera sic omnia dilucido ordine procedunt. Locus igitur hoc fere modo scribendum: *οὐ νοεῖ τὴν πρᾶξιν ἣν ποιεῖ· εἰς τὴν αὔριον γὰρ ἐπιλανθάνεται, τί πρὸ μιᾶς ἔπραξεν.*

p. 98, l. 5. *καὶ γὰρ ὁ ὀξύχολος τῇ ἑαυτοῦ πράξει τὸ ἱκανὸν ποιῶν τρυφᾷ.* Multo aptius cum fragmento pseudo-ath. *τῷ ἑαυτοῦ πάθει τὸ ἱκανὸν ποιῶν τρυφᾷ* scriptum esset, cui assentitur non solum l. 8 *νόσῳ*, sed etiam vers. vulg.: satisfaciens *suis moribus*. Tamen dubium me facit, quod Pal., quamquam satis neglegenter, exhibet: Nam iracundus in *sua opera* luxuriatur.

p. 99, l. 13. Palat. non vidit verba *τῶν οὖν μετανοούντων δοκεῖς τὰς ἁμαρτίας ἀφίεσθαι; οὐ παντελῶς*, interrogandi formam exprimere, sed levis hic error facili negotio emendatur ex vulg. versione.

p. 99, l. 17. *καὶ ἐὰν ὑπενέγκῃ τὰς θλίψεις τὰς ἐπερχομένας αὐτῷ, πάντως σπλαγχνισθήσεται ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ ἐνδυναμώσας.* Pal. Cumque perpessus fuerit *omnia*, *fortasse* qui creavit et confirmavit omnia, movebitur in eum clementia eius. — Vulg. v.: cumque perpessus fuerit *omnia*, quae illi instituta fuerint, tunc *forsitan* qui eum (leg. omnia) creavit et qui formavit (leg. confortavit, vel firmavit) universa, commovebitur erga eum clementia sua. Hanc testium diversitatem si accuratius perpenderis, etsi de vocabulo *πάντως* dubites, tamen scribendum putabis haec: *καὶ ἐὰν ὑπενέγκῃ τὰς θλίψεις τὰς ἐπερχομένας αὐτῷ πάντως* (vel *πάσας*), *ἴσως σπλαγχνισθήσεται ὁ τὰ πάντα κτίσας κτλ.*

II.

INDEX VERBORUM.

Β.

Z

Λ

Μ

Ρ

Σ

T

Υ



Φ

Χ

Ψ

Ω

Berolini, typis Trowitzschii et filii.